

TRACTATUS DE CREATIONE.

QUÆSTIO XLIV.

DE PROCESSIONE CREATURARUM A DEO.

SUMMA LITTERÆ.

Quomodo tractatum hunc de processione creaturarum, earumque distinctione et gubernatione D. Thomas partitus sit ab hac quæstione XLIV, usque ad finem primæ partis late tractavimus in isagoge theologiæ, in tomo præcedenti.

Nunc circa processionem creaturarum a Deo per tres quæstiones tria disputat. Primo, in hac quæstione, de ipsa prima causa creante. Secundo, in sequenti de ipsa creatione, seu emanatione creaturarum a Deo. Tertio, in quæstione XLVI de tempore seu duratione qua creaturæ a Deo processerunt.

Igitur in articulo primo hujus quæstionis XLIV ostendit Deum esse primam causam efficientem, et reliqua omnia esse ab ipso, eo quod solus Deus est suum esse a se, reliqua habent esse per participationem: ergo sunt facta quia participata in esse.

In articulo secundo ostendit Deum non præsupponere materiam ad producendum res, sed etiam ipsam materiam primam ex qua res per generationem procedunt, a Deo produci, et sic non supponere illam: quia quidquid est ens, et capax esse, quomodocumque est participatum a Deo, et tanto magis ab eo dependens, quanto in se magis indigens et dependens, sicut est materia prima.

In articulo tertio ostendit Deum etiam esse causam exemplarem creaturarum, quia determinat Deus formas rerum per suam sapientiam tamquam artifex, quia facit omnia in intellectu; determinatio autem formarum per intellectum fit a causa exemplari.

In articulo quarto ostendit Deum esse causam finalem omnium, si quidem omni agenti convenit agere propter finem, alioquin non determinabitur ad hoc magis quam ad illud, sed fortuito eveniet quidquid aget: sed tamen agens imperfectum operatur ut finem sibi acquirat, agens summum ut bonitatem suam aliis communicet, et hoc solum intendit, scilicet aliis communicare suam perfectionem.

QUÆSTIO XLV.

DE MODO EMANATIONIS RERUM A PRIMO PRINCIPIO.

SUMMA LITTERÆ.

Sequitur agere de ipsa creatione, et modo quo res procedunt a Deo. Et tractatum de ipsa creatione, tum de his quibus convenit creari, tum de his quibus convenit creare active.

Igitur in articulo primo ostendit quid sit creatio, scilicet quod sit facere ex nihilo, eo quod in omni emanatione supponitur non esse id quod fit et emanat, sicut si fit homo, non erat homo. In emanatione ergo universalissima totius entis nullum ens præsupponitur; hæc autem universalis emanatio est creatio: est ergo ex nihilo.

In articulo secundo ostendit Deum posse creare, imo necesse esse quod omnia quæ creata sunt ab ipso sint, quia qui facit ex aliquo, illud ex quo facit præsupponit, non causat: si ergo Deus facit omnia, quia nihil est a se præter Deum, et omnia sunt ex ipso, necesse est, quod nihil præsupponat; et sic ex nihilo faciat, quod est creare.

In articulo tertio ostendit, quid sit creatio ex parte creaturæ passive tenetæ, nempe non esse mutationem aliquam, seu motum, quia nihil supponitur quod sit subjectum talis mutationis, sed totum quod producitur est terminus actionis creativæ. Remoto ergo motu, restat quod sit relatio seu dependentia termini a suo agente.

In articulo quarto ostendit, quod creari proprium est subsistentium, et habentium esse, quia eis convenit fieri, quibus convenit esse, cum fieri sit tendentia ad esse: habere autem esse convenit subsistenti, quia hoc habet esse ut quod, forma autem, vel accidens habet esse ut quo, unde ei magis convenit concreari, seu cum alio creari, quam simpliciter creari.

In articulo quinto ostendit, quod creare ita est proprium solius Dei, quod nulli creaturæ potest competere, neque ut causæ principali, quia creare est producere ens absolute in quantum ens, quod dicit universalissimum modum producendi, quod nulli creaturæ competere potest: neque ut causæ instrumentali, quia causa instrumentalis est quæ ministerialiter, et dispositive operatur ad effectum principalis agentis, ubi autem producitur totum esse ex nihilo, nihil præsupponitur circa quod operetur illa ministerialis dispositio instrumenti.

In articulo sexto ostendit quod creare non est proprium alicujus Personæ divinæ, sed omnium indivise, eo quod Deus causat in quantum primum ens, esse autem primum ens, seu ipsum esse est commune toti Trinitati. Quia tamen Deus producit per intellectum, et voluntatem, secundum quas attenditur processio Personarum, ex ipsa ratione suæ processio- nis dicunt ordinem ad causalitatem creaturarum, quatenus hæc attributa includunt.

In articulo septimo ostendit quomodo in creaturis inveniatur vestigium aliquod Trinitatis, quatenus in creatura invenitur ratio causæ, et princi-

pii, ratio speciei, seu formæ qua formatur, et constituitur, et inclinatio seu ordo ad aliquid. Et primum repræsentat Patrem qui est principium: secundum Filium qui est species, seu forma expressiva omnium: tertium, Spiritum sanctum qui est amor, et inclinatio.

In articulo octavo ostendit, quod in opere naturæ, hoc est in generatione rerum, et in opere artis quod supponit naturam, non intervenit creatio sed eductio formæ ex materia quæ in potentia continet formas, quia nec formæ fiunt per creationem, cum creari solum sit subsistentium non formarum, neque cum materia creatæ sunt, et modo latitant in ea, sed ex potentia materiæ educuntur.

QUÆSTIO XLVI.

DE PRINCIPIO DURATIONIS RERUM CREATARUM.

SUMMA LITTERÆ.

Tria tractat D. Thomas in hac quæstione. In articulo primo ostendit nullam creaturam ab æterno fuisse: nec enim mundus processit a Deo de necessitate, sed ex libera voluntate. Unde productus fuit quando ipse voluit, non voluit autem quod esset nisi in tempore. Nec potest ostendi quod aliquis motus, et res ab æterno fuerit.

In articulo secundo ostendit quod mundum incæpisse in tempore ex fide habetur, quia dicitur: *In principio creavit Deus cælum, et terram*: hoc autem demonstrative probari non potest, quia mundum produci nunc vel ante, pendet ex nuda voluntate Dei, cujus ratio, et motivum de necessitate demonstrari non potest ex creaturis.

In articulo tertio ostendit creationem rerum non solum non fuisse ab æterno, sed fuisse in initio temporis, non solum quoad spirituales creaturas, sed etiam quoad corporeas, et omnes processisse ab unico principio, quod significatur illis verbis Genes. 1: *In principio* (scilicet temporis) *creavit Deus* (scilicet unicus Deus) *cælum, et terram*, quæ sunt creaturæ corporales.

QUÆSTIO XLVII.

DE RERUM DISTINCTIONE IN COMMUNI.

SUMMA LITTERÆ.

Ab hac quæstione incipit D. Thomas tractare de rebus ipsis procedentibus a Deo, quæ in tota universitate mundi includuntur, et in varias species distinguuntur. Et primo agit de ipsa distinctione rerum in communi in hac quæstione, deinde in speciali de distinctione boni, et mali, et de distinctione spiritualis, et corporalis creaturæ.

In primo ergo articulo hujus quæstionis ostendit quod multitudo, et distinctio rerum a Deo intentæ sunt. Non enim provenit solum ex diversitate materiæ, quia hæc diversitas dependet a formis, et tam formæ, quam materiæ ex Deo. Nec ex secundis agentibus, quasi Deus solum primam creaturam faciat, et illa alias, quia nulla creatura creare potest: multa autem præter primam creaturam per creationem fiunt. Ex intentione ergo Dei provenit multitudo creaturarum, quia in una sola tota ejus bonitas repræsentari non potest.

In secundo articulo ostendit quod etiam inæqualitas creaturarum ex Deo est: per se enim intenditur varietas formarum, et specierum, et non solum individuorum in hoc universo, cum ex variis speciebus componatur; specifica autem distinctio semper inæqualitatem importat, quia sunt species sicut numeri.

In tertio articulo ostendit mundum esse unum non obstante tanta multitudine, et inæqualitate rerum, non unitate entitativa, sed unitate ordinis ad unum finem, et sapientiam ordinantem.

QUÆSTIO XLVIII.

DE RERUM DISTINCTIONE IN SPECIALI.

SUMMA LITTERÆ.

Prima distinctio creaturarum sumitur penes perfectum, et imperfectum seu defectuosum, quod est bonum, et malum; et ideo hic agit de eorum distinctione, et in sequentibus quæstione de causa mali.

Igitur in primo articulo inquit de malo, an sit natura quædam. Et docet quod nomine mali non significat naturam aliquam habentem esse, quia omne ens est bonum in quantum ens, sed significare absentiam, seu defectum boni.

In articulo secundo ostendit inveniri malum in rebus, quia quædam bona sunt quæ deficere non possunt, alia quæ deficere possunt, malum autem est defectus a bono. Quæ ergo deficiunt malum habent, id est, defectum. Loquitur D. Thomas de malo simpliciter seu privative.

In articulo tertio ostendit quod subjectum mali est bonum, quia malum est privatio boni, et non purum nihil, seu pura negatio. Privatio autem est in subjecto capaci, seu quod est in potentia ad formam, et ex hoc ipso est bonum quod dicit ordinem ad bonum.

In articulo quarto ostendit quod malum non destruit totaliter bonum: licet enim privet bono opposito, non tamen destruit subjectum in quo est neque habilitatem seu capacitatem ejus ad bonum, licet hanc diminuat, quia penitus tolli non potest, nisi subjectum destruat.

In articulo quinto ostendit sufficienter dividi malum per malum culpæ, et pænæ, quia forma, seu actus est duplex, primus et secundus. Primus pertinet ad entitatem rei, secundus ad operationem. Si est indebita operatio, quia caret ordine debito, et est in subjecto rationali, habet rationem culpæ. Si est subtractio alicujus pertinentis ad entitatem, vel ad accidentia rei, est damnum, et habet rationem pænæ.

In articulo sexto ostendit malum culpæ habere plus de ratione mali, quam pœnam: tum quia per culpam redditur aliquis simpliciter malus, non per pœnam; sed per hoc quod sit dignus pœna: tum quia malum culpæ contrariatur Deo, cujus voluntatem non implet, pœna autem bono creato, quod tollit ab aliquo.

QUÆSTIO XLIX.

DE CAUSA MALI.

SUMMA LITTERÆ.

Tria facit in hac quæstione. In articulo primo inquit an bonum possit esse causa mali. Et docet, quod malum habet ex parte causæ materialis bonum, ut dictum est, ex parte causæ formalis non habet bonum pro forma, sed defectum boni. Ex parte causæ agentis habet causam per accidens, scilicet efficiens cum defectu alicujus principii aut impedimento alicujus causæ.

In articulo secundo docet quod summum bonum, id est, Deus, non est causa mali in operationibus, quia nullo modo est agens defectuosum, nec radix defectus in agentibus. Mali autem quod est in effectibus (sicut est corruptio aliorum, et malum pœnæ) bene potest Deus esse causa ex consequenti, quatenus ordo universi non potest conservari sine aliorum rerum corruptione.

In articulo tertio ostendit non posse dari unum primum principium malum, seu summum malum, tum quia debet habere aliquam entitatem, alias esset nihil, et pro hac parte aliquid bonitatis retinere; tum quia nulum est malum quod integre consumat omne bonum: sic enim se destrueret, cum maneret nihil; et sic implicat malum esse summum, id est, sine ullo bono, et sine ullo ente; tum quia malum semper supponit aliquid bonum, ex quo tamquam ex causa saltem per accidens causetur: ergo repugnat quod sit prima causa, et primum principium efficiens.

DISPUTATIO XVIII.

DE CREATIONE RERUM.

ARTICULUS I.

Quid fides doceat circa creationem, et articulum Dei creatoris?

I. Deum creatorem esse totius universi absoluta fides est; imo to-

tius Scripturæ, et fidei initium ab hac creationis notitia incipit, cum inquit Genes. I: *In principio creavit Deus cælum, et terram*: Isai. XL: *Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc?* Jerem. XXXII: *Ecce tu fecisti cælum, et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento*: et II Macchab. VII: *Peto, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et ad omnia quæ in ea sunt, et intelligas, quia ex nihilo fe-*

cit illa Deus, et hominum genus: et Paulus Actorum XVII: *Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt*. Et passim in Scriptura vocatur Deus factor cæli, et terræ, et omnium. Unde tamen in symbolum fidei articulus hic relatus est, dum dicitur: « Credo in Deum Patrem omnipotentem factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium; » et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, in c. Firmiter, de summa Trinitate, definitur: « Deum sua omnipotentia virtute in initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spirituales, et corporales, angelicam videlicet, et mundanam, etc. »

Cæterum licet hæc veritas fidei ita stabilita sit, fuerunt tamen plurimi errores tum antiquorum philosophorum, tum hæreticorum qui illam evertere conati sunt, quos refert S. Thomas opuse. V et VI, et opuse. XXIII, et II contra gentil. c. XVI et XXXI, et in II, dist. I, qu. I, art. I et V, et in præsentia qu. XLIV et XLV, et seqq. Ad tria autem capita possumus errores omnes reducere in hac parte.

Primum est, circa ipsam creationem ex nihilo, quam aliqui negaverunt, præsertim ex antiquis philosophis apud quos erat tritum proloquium: Ex nihilo, nihil fieri, et ita materiam aut materialem causam æque videntur associasse efficienti.

Secundum est, circa res productas, in quibus aliqui non omnia a Deo esse facta, aut non ab uno primo principio, sed a diversis, aut non immediate ab ipso, sed median- tibus Angelis plura esse facta, aut non ex primaria intentione omnia, sed ex accidenti aliqua esse facta dixerunt.

Tertium est, circa circumstantiam temporis, quia multi dixerunt non in principio temporis, sed ab

æterno fuisse mundum, aut creationem ejus. Unde fides catholica in his tribus maxime explicat articulum Dei creatoris, scilicet quod sit unus creator omnium, quod ex nihilo creaverit, quod non ab æterno, sed in initio temporis.

II. Igitur circa primum, scilicet circa creationem rerum prout ex nihilo, erraverunt præcipue antiqui philosophi. Qui communiter convenientes in illo principio quod ex nihilo nihil sit, cogebantur ponere materiam aliquam esse increatam. Sed quia in materia corporali transmutationes fieri videmus, hærebant valde, et dividebantur, in assignando principio, seu causa istarum transmutationum: si enim materia esset increata, quis haberet potestatem ad eam transmutandam? Et divisi sunt in tres classes.

Primo, dixerunt aliqui ut Democritus, et Epicurus, non esse querendam causam per se harum diversitatum, et transmutationum, sed casu, et fortuna ex plurium corporum concursu resultasse; et sic non oportere aliam causam assignare, quam materialem, scilicet ipsam pluralitatem corporum, quia corpora pro materia agnoscebant, ponentes materiam esse aliquid sensibile, et actuale, transmutationes autem solum esse accidentales.

Secundo, alii assignaverunt aliquam causam agentem harum transmutationum, sed tamen adhuc supponendo, quod substantia corporum creata non erat, sed primum principium, sed tamen transmutationes, segregationes, et divisiones, quæ in ea dantur, et accidentales solum esse putabant, et secundum ea quæ apparent, dicebant ex aliquo agente, sicut Empedocles posuit tamquam prima agentia duo con-